

na in tertio loco in Cācro, Saturnus uero in sexto in Libra, tunc Saturnus immode-
ratam frigiditatem humidamq; intemperiem in cerebro Lunæ ratione operabitur,
pectus quoq; angustum atq; debile easdem ob qualitates efficiet, ab his igitur qua-
litatibus immoderata pituita generabitur, quæ ob debilem naturalem calorem à Sa-
turni siccitate factam in pulmones descendet, ab his secūdo loco genitis tertia pro-
cedet dispositio, scilicet spirandi difficultas, à qua rursus extenuatio ipsius corpo-
ris & tabes, propter exiccationem in corde factam, propter prohibitam respiratio-
nem cum frigiditate iuncta. Nanq; tam pulmo quam pituita frigida supponuntur.
Ecce uides quoniam pacto ex Saturni & Cācri immoderata frigiditate tum humida
qualitate immoderata etiā Cācri & Lunæ, tum etiam robore Saturni in Libra, & lo-
co qui morbos decernit, atq; id etiam qualitatum primarū ratione, ut suo loco ostendetur,
in tabis cognitionē futurę deuenimus, seu præsentis seu præteritæ, atq; hic mo-
dus naturali contemplationi quemadmodum Ptolemæus dicit persimilis est.

T E X T U S IIII.

Atq; ita ne ab ullo, cui ueritas curæ sit, harum rerum comparatio fiat
cum prima & immutabili certitudine, cum intellexerit materiæ & illius
habitudinis imbecillitatem, & difficultatem coniecturæ capiendæ.

Declarat non esse comparationem inter hæc duo genera, quoniam inter propin-
qua solum est comparatio, sed scientia iudiciorum astrorum quadruplici ordine in-
ferior est, quo ad certam notitiam atq; securam scientiā, quæ traditur in libro de mo-
tibus ipsorum quem Arabes Almagestum uocant. Duos tamen Ptolemæus tātum
ordines declarat, scilicet modi cognoscendi & mutationis materiæ. Nanq; mathe-
matica demonstrationis certitudine præstantior est philosophia naturali, unde, in-
quit philosophus, mathematicæ sunt in primo gradu certitudinis & naturales sequunt
ur eas. Secundus ordo est, quia in philosophia naturali etiam scientia de cœlo cer-
tior est scientia istorum inferiorum, quia cœlum est perpetuum & sempiternum, sed
ista inferiora sunt corruptioni obnoxia. Tertio, scientia de astris est ex suppositis
exquisitis, habitis per instrumēta & obseruationes, sed scientia de iudicijs, cum non
habeat signa exquisita nec cognita ad unguem ideo minus certa redditur. Accedit
quarta differentia, quia scientia de astris est simpliciter de illis, sed scientia iudicio-
rum est comparatiua, & ideo conjecturalis quare in certitudine non est hæc illi com-
paranda. Nō solum autem liber de Motibus astrorum duos illos habet fines à Pto-
lemæo descriptos, scilicet ueritatis sciendæ causa & futura dignoscendi, sed etiam
multos alios usus, primum quidem in legum obseruatione. Iudæi enim Pascha ce-
lebrant à nouilunio quod primum æquinoctium sequitur: Christiani & ipsi Pascha
tis rationem ita obseruant, ut coniunctio luminarium in diem passionis qui tertius
est ante Pascha incidere non possit. Ciuitates quoque dies in hebdomadas iuxta se-
ptem planetarum numerum distribuerunt: similiter & ratio horarum à Solis motus
diuisione sumpta est. Medici quoq; ne sub Aequinoctijs aut Solsticijs medicamen-
ta propinent, præceptum ab Hippocrate habuerunt. Idem criticos dies iuxta Lunæ
motus rationem statuere. Agricolæ in secundis arboribus Lunam obseruant, & di-
ligentiores etiam dum serunt semina, aut arbores inserunt. Nautæ ex aspectu sy-
derum, motus uentorum & qualitates temporum dñjudicant. Res publicæ multæ cer-
tas habent constitutiones à syderum ratione sumptas, uelut Lacedemonij qui iuxta
Lunæ obseruationem egredi in expeditionem non audebant. Hæc omnia cum sci-
entia astrorum contemplatiua etiam præter ueritatis cognitionem præbeat, iure
merito dubitari potest quænam harum sit nobilior? Et certe uidetur scientia motus
astrorum præferenda duabus rationibus, tum quia certior, tum quia sine illa hæc ha-
beri non potest: potest etiam subiici tertia causa quod tot alijs seruat commodis
de quibus nuper dictum est. Sed si citra affectum rem dñjudicare uelimus, erit hæc
disciplina iudiciorum omni scientia motus astrorum longe utilior. Quod enim hæc

A ; sine